

se vel per accidens, principalis aut instrumentalis, prima aut secunda, proxima aut remota, totalis aut partialis, causa ut quae aut causa ut quod, universalis aut particularis, univoca aut aequivoca, libera aut necessaria, physica aut moralis, perficiens, praeparans, adjuvans, constilians.

Causa per se est quae agit id quo naturali destinatione dirigitur, aut quod ipsamet agere intendit. Ita ignis *per se* comburit lignum.

Causa per accidens est agens cujus effectui aliquid praeter intentionem vel naturae vel ipsius agentis coniungitur. Ita gallus quaerens escaam, *per accidens* margaritam reperit.

Causa physica est quae effectum parit virtute propria, sive principali sive instrumentali. Ita ignis est causa physica combustionis stipulae.

Causa moralis est quae virtute propria nec producit effectum, nec ad illum producendum illo modo cooperatur, sed solum aliam causam inducit ad operandum, mediante ejusdem cognitione. Hoc pacto imperans v. gr. aut deprecans sunt causae morales.

Causa principalis illa est quae virtute propria agit, ita ut effectus illius sit. Ita homo est causa principalis suarum cognitionum et appetitionum.

Causa instrumentalis est quae non virtute propria agit sed virtute sibi communicata a principali agente: quapropter non instrumentali causae sed principali proprie tribuitur effectus. Ita vulnus vel mors alteri per gladium illata, homini imputatur, non gladio, qui movetur et dirigitur ab homine.

Causa principalis prima illa est quae neque quoad virtutem qua potest agere, neque quoad